24

# Sigismundus primus rex Poloniæ, Francisco regi Galliæ.

Serenissime et christianissime rex etc: Retulerunt in nos subditi nostri cives Gedanenses, ut ante septennium naves quædam cum mercibus, dum ex portu Fens in Zelandia versus Gdanum navigarent, essent per quosdam satellites seu milites vestræ maiestatis interceptæ, et cum ipsi raptores fuissent per Petrum Steynhaver ipsorum procuratorem in ius parlamenti Parisiensis vocati, condemnatique per duas conformes sententias, non est tamen subditis nostris ulla in parte satisfactum, nec sententiæ latæ executioni deductæ. Commendamus itaque plurimum maiestati vestræ dictum Petrum Steynhaver eorundem subditorum nostrorum procuratorem, rogamusque illam, dignetur officialibus et præsidentibus parlamenti, ut et sententias latas exequantur, et nostris subditis debita fiat satisfactio, pro conservanda iustitia, et securitate communium subditorum nostrorum, et nostra erga maiestatem vestram observantia, et propensione, quæ felicissimè valeat et nos diligat. Datum circa 1521.